

quanto magis itineris transactum est, tanto amplius restat eundum. Sic plerique asserunt quod domus a fundamentis ad tectum usque deducta, ad interriorem ornatum sui et suppelletilem necesariam tandem eget impendiis pocioribus iam absumptis. Si te vero plusquam deceat molestavero, excuset me libertas amoris, cui nil vetitum, nil presumptuosum, denique nil importabile videtur. Tecum utique loquor, ut amicus cum amico, cum concive civis, cum fratre frater; postremo fari decrevi tecum ut mecum. Et quoniam actus agentium gestiunt pacientes apte dispositos, sicut philosophi docent et uti didici, animi tui gravitatem coniectans, que et detestatur errores mundi, et paucissimorum celata munerum philosophie disciplinarumque ceterarum studiis vacat, ac vitream famam horrens, Tarvisii quam Veneciis morari mavult, tanquam in carioris solitudinis loco, reliquis nostris concivibus vilipensis, quorum non fortune, sed negligencie cecitatisque proprie gratia, pauci vel pocius nulli dicta dicendaque meciuntur aut emeditantur, ad nichil aliud dignum nati, preterquam ad replendam in die Ascensionis dominice beati Marcii basilicam et ad Mariarum festum ob turbe multitudinem decorandum, seorsum te sencentem amplector.

Karissime frater, inter clades pestiferas totius ytalici soli, inter mala cetera, que innumerabilia sunt et affatu ne quidem meo, sed nec ydiomatum omnium narrabilia, quedam precipue vigencia, ymmo maxime urgentia, arbitror dominari, si mirificorum actuum desercio, gestorum eximiorum oblivio, tropheorum incredibilium vilipendum, ampletende libertatis servitus, amorisque rei publice adulteracio, flagipiosa crima, cum nichil sit nisi virtutum privacionis, nobis valeant principari. Unum attamen detestabilius ceteris quod me cottidianis cruciatibus angit, pacienter tollerare omnino non possum, quod videlicet cunctas philosophie scolas, quas Xenocrates primus aperuisse traditur, cum ante eum per porticus vagando philosophica dogmata traderentur, nunc obseratas aspicio, cumque omnes homines naturaliter scire precupiant novissime diebus nostris pene omnes videntur scientiam abhorere, hiis tantum exceptis qui legum et decretalium gignasiis insudantes, non optatu scientie, que scientis est premium, sed ob lucrum inde subsequens

<sup>10-14</sup> Cod. veticum    <sup>16</sup> numerum cod.    <sup>30</sup> Cod. servit<sup>r</sup>    <sup>38</sup> Cod. nostras  
<sup>40</sup> scientes cod.